

Comment. in cap. 18. Matth.) Ideo & Dominus addidit, *De cordibus vestris*, ut omnem simulationem sicte pacis avertet. Præcipit ergo Dominus Petro, sub comparatione Regis, domini, & servi, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat & conservis suis minima peccantibus. *Origenes* (ubi supra.) Vult etiam docere faciles nos esse ad indulgendum eis qui noverunt nobis; maxime si satisfaciunt, & deprecantur sibi veniam dari. *Rabbanus* (super *Oblatus est ei unus.*) Allegorice autem servus

(1) *Al. expetunt, & infra trucidant.*

hic qui decem millia talentorum debuit, Judaicus est populus decalogi legis astrictus: cui Dominus sæpius dimisit debita, quando in angustiis consuituti illius misericordiam deprecabantur; sed liberati omnes debitores atrociter repetebant; & à gentili populo, quasi sibi obnoxio, circumcissionem, & ceremonias legis (1) expetebant; sed & Prophetas, & Apostolos crudeliter trucidabant. Unde tradidit eos Dominus in manus Romanorum, vel malignorum spirituum, qui æternis cruciatibus eos punirent.

## CAPUT XIX.

(a) **ET** factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem, & secuta sunt eum turba multæ, & curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

(b) Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur; & qui dimissam duxerit, moechatur.

(c) Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi qui seiplos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

(d) Tunc oblari sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

(e) Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi, Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem tuum, & matrem, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiivi à juventute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

(f) Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

(g) Tunc respondens Petrus dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

(a) *Chry-*

(a) **CHRYSO**STOMUS in hom. 63. Dominus prius Judæam relinquens propter illorum emulationem, nunc ibidem jam immoratur: quia passio in proximo futura erat. Non tamen ad Judæam interim ascendit, sed in terminos Judææ: unde dicitur: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa. Rabbanus* (hoc loco.) Hic ergo incipit narrare quæ in Judæa fecit, docuit, sive passus est: & primo quidem trans Jordanem ad orientem; deinde etiam trans Jordanem, quando venit Hierico, & Bethphage, & Hierusalem: unde sequitur: *Et venit in fines Judææ trans Jordanem. Chryso*STOMUS super Matth. (hom. 32. in op. imperf.) Quasi justus dominus omnium, qui sic diligit alios servos, ut alios non contemnat. *Remigius*. Sciendum est autem, quod omnis illa Israelitarum provincia, generaliter Judæa dicebatur, ad comparationem aliarum gentium. Verumtamen meridiana ejus plaga, in qua habitabat tribus Juda, & tribus Benjamin, specialiter dicebatur Judæa, ad distinctionem aliarum regionum, quæ in ipsa provincia continebantur, idest Samaria, Galilæa, Decapolis, & reliquæ alia.

Sequitur: *Et secuta sunt eum turba multæ. Chryso*STOMUS super Matth. (ibidem.) Perducebant eum quasi parvuli filii patrem peregre longè proficiscentem. Ipse autem tamquam pater proficiscentis, pignora caritatis filiis reliquit remedia sanitatum: unde dicitur, *Et curavit eos. Chryso*STOMUS in hom. 63. Considerandum etiam, quod neque doctrinæ verborum continue Dominus insisit, nec signorum operationi; sed nunc quidem hoc, nunc autem illud facit: ut à signis credibilis appareret in his quæ dicebat; ex sermone autem doctrina utilitas quæ erat in signis ostenderetur. *Origenes*, tract. 7. Sanabat autem Dominus turbas trans Jordanem, ubi baptismus dabatur. Vere enim omnes à spiritualibus infirmitatibus salvantur etiam in baptismo; & quidem multi sequuntur Christum sicur turbæ, tamen non surgentes, ut Matthæus, qui surgens secutus est Dominum. *Rabbanus*. Curat etiam Galilæos in Judææ finibus, ut peccata gentium in eam (1) veniam quæ Judææ parabatur, admitteret. *Chryso*STOMUS in hom. 63. Curabat siquidem Christus homines, & illis benefaciens, & per eos multis aliis. Horum enim sanatio aliis erat occasio divinæ cognitionis; sed non pharisæis, qui ex signis duriores fiebant: unde sequitur: *Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Hieronymus* (in princ. Comm. in 19. cap. Matth.) Ut quasi cognato eum teneant syllogismo, &

*S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

quodcumque respondeat, pateat captioni. Si dixerit dimittendam uxorem qualibet ex causa, & ducendam aliam; pudicitia prædicator sibi videtur dicere contraria. Sin autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur, & adversus doctrinam Moysi, & Dei facere. *Chryso*STOMUS in hom. 63. Intuere autem ex modo etiam interrogationis malitiam. Dominus enim supra de lege hac disputaverat; ipsi autem quasi jam nullo dicto interrogant, scilicet opinantes, quod oblitus esset eorum quæ dixerat. *Chryso*STOMUS super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Sicut autem si videas hominem assidue amicitias medicorum colentem, intelligis quia infirmus est; sic & cum videas virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus, aut viris interrogantes, cognosce, quia vir ille lascivus est, mulier illa meretrix est: nam in matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo conjugii alligata torquetur. Sciebant autem quoniam nullam causam idoneam habebant circa dimittendas uxores, præter solam turpitudinem, & alias aequalias sibi jungebant. Timuerunt autem interrogare, ex quibus causis, ne seipfos infra angustias certarum causarum astringerent; sed interrogaverunt si ex omnibus causis licet: scientes, quia modum nescit, nec infra terminos unius conjugii caput libido; sed quanto magis exerceret, magis accenditur. *Origenes* (tract. 7. in Matth.) Tentato autem Domino, nullus discipulorum ejus, qui positus est ad docendum; graviter ferat, si tentatus fuerit à quibusdam: tamen & tentatoribus respondet dogmata pietatis. *Hieronymus*, ubi supra. Sic autem responsionem temperat ut (2) decipulam eorum transeat. Scripturam Sanctam adducens in testimonium, & naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens: unde sequitur: *Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam, fecit eos? Hoc in exordio Genesis scriptum est. Dicendo autem masculum, & feminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait, masculum, & feminas: quod ex priorum repudii quærebatur; sed masculum, & feminam, ut unius conjugii consortia neckerentur. Rabbanus* (super *Erunt duo in carne una.*) Salubri autem consilio Dei factum est ut sui corporis portionem vir amplecteretur in femina, nec à se putaret esse diversum quod de se cognosceret fabricatum. *Chryso*STOMUS super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Si ergo (3) ad hoc Deus matrem, & feminam ex uno creavit ut sint unum; quare ergo & de cætero

D4

vir,

(1) *Al. vineam* (2) *Al. discipulam, utm disciplinam.* (3) *Al. ex hoc.*



citur, per ipsas solvitur. Matrimonium autem non facit cōitus, sed voluntas: & ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit conjugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est: nam etsi corpore jam separatus est, tamen adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc (1) plane dimittit: & ideo Dominus non dicit, Qui dimittit, mœchatur; sed *Qui alteram ducit. Rabbanus.* Una ergo solummodo carnalis est causa, idest fornicatio; una spiritualis, hoc est timor Dei, ut uxor dimittatur. Nulla autem causa est ut, vivente ea quæ relicta est, alia ducatur. *Hieronymus* (super *Qui dimiserit uxorem.*) Poterat autem accidere ut aliquis calumiam faceret innocenti uxori, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret. Ideo sic priorem dimittere jubetur uxorem ut secundam, prima vivente, non habeat. Nec non quia poterat venire ut, juxta eandem legem, uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur ne secundam accipiat virum: & quia meretrix, (2) & quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nuberet præcipitur viro. Quod si talem duxerit, sub adulterii crimine sit: unde sequitur: *Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Glossa* (a) (ordinaria.) Accipientem terret: quia adultera non timet opprobrium.

(c) *Hieronymus* (super *Si ita est, non expedit nubere.*) Grave pondus uxor est, si, excepta causa fornicationis, eam dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, tenenda erit? Videntes ergo Apostoli grave uxorum jugum, proferunt motum animi sui: unde dicitur: *Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Chrysoströmus* in hom. 63. Levius enim est contra concupiscentiam præliari, & contra seipsum, quam ad mulierem malam. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Non autem dicit Dominus, quia expedit; sed magis consensit quod non expedit; sed infirmitatem carnis consideravit: unde sequitur: *Qui dixit eis: Non omnes capiunt verbum istud; idest, non omnes hoc possunt. Hieronymus* (super *Non omnes capiunt.*) Nemo autem putet sub hoc verbo quod addit: *Sed quibus datum est, vel fatum, vel fortunam introduci: quod hi sunt virgines quos ad hoc casus adduxit. Sed hi datum est à Deo qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Ideo ergo non omnes capere pos-

sunt, quia non omnes volunt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quod quidam à proposito continentie cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores; sicut & qui in pugna cadunt non exanimant (3) ceteros. Quod ergo dicit: *Quibus datum est, illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem auxilium gratiæ volentibus non denegatur: dicit enim Dominus supra 7. Petite, (4) & accipietis. Chrysoströmus* in hom. 63. Deinde possibile hoc esse ostendens ait: *Sunt enim eunuchi; quasi dicat: Excogita: si ab aliis excisus esses, quid utique faceres? Voluptate quidem privatus esses, mercedem autem non haberes. Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Sicut enim peccatum opus sine voluntate non facit, ita & justitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit. Illa est ergo gloria continentia, non illa quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. *Hieronymus* (super *Sunt eunuchi.*) Triplex ergo genus eunuchorum posuit: quorum duo sunt carnales, & tertii spirituales. Alii enim sunt qui de utero matris sic nascuntur; alii quos vel captivitas facit, vel delicia matronales; tertii sunt qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum, & qui cum possint esse viri, propter Christum eunuchi fiunt. Iis promittitur præmium; superioribus autem quibus necessitas castimonia est, non voluntas, nihil omnino debetur. *Hilarius*, can. 19. In uno enim eorum posuit naturam, scilicet in eo qui nascitur; in altero necessitatem, scilicet in eo qui factus est; in tertio voluntatem, qui scilicet spe regni cælestis talis esse decrevit. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Quod autem aliqui sic nascuntur hac ratione fit quod & nascuntur sex digitos habentes, aut quatuor. Si enim Deus, sicut ab initio constituit unamquamque naturam, sic dimitteret illam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in oblivionem deduceretur coram hominibus operatio Dei. Ideo ergo interdum natura rerum convertitur contra suam naturam, ut semper Deus naturæ opifex in memoriam reducat. *Hieronymus* (ubi supra) Possimus & aliter dicere. Eunuchi sunt ex matris utero qui frigidioris naturæ sunt, nec libidinem appetunt: & alii qui ab hominibus fiunt, quos aut pharisæi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in feminas, vel persuasio-

(1) Al. plene. (2) Al. & quia. (3) Al. omittitur ceteros. (4) Al. & invenietis.  
EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod sequitur ex Glossa, est expressius in Anselmo.

ne hæretica simulat castitatem, ut mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum consequitur Regnum Cælorum, nisi qui se propter Christum castraverit: unde sequitur: *Qui potest capere, capiat: ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia, & pudicitia implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, & quemlibet ad se alliciens; sed considerandæ sunt vires; ut qui potest capere, capiat. Quæ hortantis Domini vox est, & milites suos ad pudicitiam præmium concitantis; quasi, qui potest pugnare, pugnet, & superet, ac triumphet. Chrysoströmus* in hom. 63. Cum autem dicit, *Qui se castraverunt*, non membrorum dicit abscisionem, sed malorum cogitationum interreptionem maledictioni enim est obnoxius qui membrum abscidit: etenim quæ homicidarum sunt talis præsumit; & Manichæis, qui detrahunt creaturis, tribuit occasionem, & eadem cum gentibus membra detrahentibus (1) inique agit: abscindere enim membra daemoniæ tentationis est. Cum his autem quæ dicta sunt neque concupiscentia mælior ita fit, sed mælior: aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, & præcipue à proposito incontinenti, & mente negligente; & si ipsa sobria fuerit, naturalium motuum nullum est nocumentum; nec ita abscisio membri comprimant tentationes, & tranquillitatem facit, ut cogitationis frenum.

(d) *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Dominus de castitate sermonem fecerat; audientes autem quidam obtulerunt ei infantes castitate mundissimos: putabant enim quia Dominus corpore mundos tantum laudaret: & hoc est quod dicitur: *Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Origenes*, tract. 7. Jam enim ex præcedentibus virtutibus ejus experti erant quoniam per impositionem manuum ejus, & orationem repelluntur in mala. Offerunt ergo ei pueros, considerantes quoniam impossibile est ut postquam per tactum Dominus dederit eis divinam virtutem, (2) ruinâ, aut daemonium aliquod tangere eos possit. *Remigius.* Consuetudo etiam fuit apud veteres ut parvuli offerrentur senioribus, quatenus eorum manu, vel ore benedicerentur; & juxta hanc consuetudinem parvuli oblatis sunt Domino. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Caro autem, quia non delectatur in bono, facile obliviscitur bonum; malum autem quod audierit, retinet semper. Ante modicum autem tempus Christus accipiens puerum, (supra 18.) dixit: *Nisi facti fueritis sicut parvulus iste, non intrabitis. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) Al. de qua ait. (2) Al. ut ruina. (3) Al. & timorem.

is in Regnum Cælorum: & ecce statim obliti discipuli puerilis innocentie, vetabant pueros ad Christum quasi indignos accedere: unde sequitur: *Discipuli autem increpabant eos. Hieronymus* (super *Tunc oblatis.*) Non quia nolent eis Salvatoris & manu, & voce benedici; sed quod nondum habentes plenissimam fidem, putarent eum, in similitudinem aliorum hominum, offensentium importunitate lassari. *Chrysoströmus* in hom. 63. Vel discipuli expellebant pueros, causa dignitatis Christi. Dominus autem docens eos moderata sapere, (3) & timorem conculare mundanum, accepit parvulos, & in ulnis tenuit eos: & talibus Regnum Cælorum promittit: unde sequitur: *Iesus autem ait eis: Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire: talium est enim Regnum Cælorum. Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Quis enim mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo simplex infantia? Ideo dixit: *Nolite prohibere eos.* Nam si sancti futuri sunt; quid vetatis filios ad patrem venire? Si autem peccatores futuri sunt; ut quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis? *Hieronymus* (super *Sinite parvulos venire.*) Signanter autem dixit: *Talium est Regnum Cælorum: non istorum, ut ostenderet, non ætatem regnare, sed mores; & his qui similem haberent innocentiam, & simplicitatem præmium reponit.*

Sequitur: *Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Chrysoströmus* super Matth. (hom. 32. in opere imperf.) Præfens locus instruit omnes parentes, ut filios suos sacerdotibus offerant: non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cuius nomine manus imponitur. Si enim qui escas suas per orationem offert Deo, sanctificatas eas manducat: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem; ut Apostolus dicit (1. Tim. 4.) oratione magis pueros offerri Deo, & sanctificari necesse est? Causa autem sanctificandarum escasum hæc est, quoniam totus mundus in maligno positus est: 1. Joann. v. unde & res corporales quæ sunt magna pars mundi, in maligno positæ sunt. Consequenter infantes quando nascuntur, & ipsi quantum ad carnem in maligno positi sunt. *Origenes*, tract. 7. Pueros autem mystice dicimus qui in Christo adhuc carnales sunt, & lacte opus habentes. Qui autem profiterunt verbi doctrinam, simplices quidem, & quasi puerilem sermonem habentes quo nutriuntur, adhuc novitii sunt, qui offerunt Salvatori pueros, & infantes. Qui autem videntur esse perfectiores, & ideo sunt discipuli Jesu, priusquam discant rationem

justitiam de pueris, reprehendunt eos qui per simplicem doctrinam pueros, & infantes, id est minus adhuc eruditos, offerunt Christo. Dominus autem hortans discipulos suos jam viros constitutos condescendere utilitatibus puorum, ut fiant pueri quasi pueri, ut pueros lucentur, (1) dicit: *Tantum est enim Regnum Cælorum.* Nam & ipse, cum in forma Dei esset, factus est puer. Hæc ergo debemus attendere, ne æstimatione sapientiæ excellentioris, & profectus spiritalioris, contemnamus quasi magni pusillos Ecclesiæ, prohibentes pueros venire ad Jesum. Quoniam autem pueri non omnia quæ dicuntur, sequi possunt, imposuit eis manum Jesus, & virtutem relinquens in eis per tactum, ab eis, quasi non potentibus sequi Christum, sicut ceteri discipuli ejus perfecti. *Remigius.* Manibus etiam impositis benedixit pueris, significans quod humiles spiritu sunt digni ejus gratiæ, & benedictione. *Glossa (a)* (ordinaria). Imposuit etiam eis manus, (2) viris continentibus, ut gratiam sui auxilii conferendam significaret. *Hilarius*, can. 19. Infantes etiam Gentium forma sunt, quibus per fidem, & auditum salus redditur. Verum ex affectu primo salvandi Israel, à discipulis inhibentur accedere, quos Dominus ait non oportere prohiberi. Munus enim Spiritus Sancti per impositionem manus, & precationem, (3) cessante legis opere, erat Gentibus largiendum.

(c) *Rabbanus* (super *Magister bone*). Audierat forsitan homo iste à Domino, tantum eos qui volunt parvulis similes esse, dignos introitu regni cælestis; & ideo certior cupiens esse, non per parabolas, sed aperte postulat exponi, quibus meritis vitam æternam consequi possit. Et ideo dicitur: *Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* *Hieronymus* (super eodem loco). Iste qui interrogat, & adolescens, & dives erat, & superbus, & non voto discens, sed tentans interrogat; quod ex eo probare possumus quod dicente sibi Domino, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, rursus fraudulenter interrogat, quæ sunt illa mandata; quasi non & ipse legere, aut Dominus (4) posset eidem hæc jubere contraria. *Chrysostomus* in hom. 64. Ego autem avarum quidem eum, & pecuniarum amatorem nequaquam recuso dicere, quia & Christus talem eum esse redarguit; simulatorum autem nequaquam, quia non est securum de incertis judicare, & maxime accusando.

(1) *Al.* omittitur dicit. (2) *P. Nicolajus* habet ut veris continentibus, & veris humilibus gratiam &c. (3) *Al.* testante. (4) *Idem legit* posset Deo jubere contraria.

EX EDIT. P. NICOL. (b) Non est in Glossa, nisi quoad veros humiles prius hoc loco pratermissos: quoad utrumque autem est in Anselmo.

Marcus autem hanc suspensionem destruit: dicit enim, quod occurrens & genuflectens rogabat eum; & quoniam inspiciens eum Jesus, amavit eum. Si etiam eum tentans accessisset, demonstrasset nobis hoc Evangelista, sicut in aliis facit. Si autem & ipse siluisset Christus eum non permisisset latere, sed redarguisset manifeste, aut occulte insinasset. Hoc autem non fecit; sequitur enim: *Qui dicit ei: Quid me interrogas de bono?* *Augustinus* de Con. Evang. Lib. 2. cap. 63. Potest autem videri distare aliquid, quod hic secundum Mattheum dicitur, *Quid me interrogas de bono?* secundum alios autem (Marc. 10. & Luc. 18.). Quid me dicis bonum? Nam *Quid me interrogas de bono?* ad illud magis referri potest quod ait ille querens, *Quid boni faciam?* Ibi enim & bonum nominavit, & interrogatio est. *Magister* autem bone, nondum est interrogatio. Commodissime ergo intelligitur utrumque dictum: Quid me dicis bonum; & *Interrogas de bono?* *Hieronymus* (super *Quid me interrogas de bono?*) Quia vero Magistrum vocaverat bonum; & non Deum; vel Dei Filium confessus erat; dixit quemvis Sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum; de quo dicitur Psal. 118., *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et ideo dicit: *Unus est bonus Deus.* Ne quis autem putet in eo quod bonus Deus dicitur, excludi à bonitate Filium Dei, legitimus in alio loco, Joan. 10., *Pastor bonus ponit animam suam pro ovibus suis.* *Augustinus* 1. de Trin., cap. 13. Vel quia ille vitam æternam quærebat (vita autem æterna est in illa contemplatione, qua non ad pœnam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum) & non intelligebat eum quo loquebatur, quoniam tantummodo eum Filium hominis arbitrabatur: ideo dicit: *Quid me interrogas de bono?* & vocas me secundum quod vides Magistrum bonum? Hæc forma Filii hominis apparebit in judicio, non tantum justis, sed & impiis; & ipsa visio malum eis erit, quia penaliter erit. Est autem visio formæ mææ, in qua æqualis sum Deo. Ille ergo unus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ipse est solus bonus: quia nemo videt eum ad luctum, & plandum, sed tantum ad salutem, & lætitiæ veram, *Hieronymus*, ubi supra Salvator etiam noster bonitatis testimonium non renuit, sed magistra absque Deo exclusit errorem. Quæ autem utilitas est ut ita responderet? Reducit enim eum paulatim, & erudit liberari ab omni.

ni adulatione, & ab his quæ sunt super terram eum abducens, Deo adherere suadet, & futura quærere, & nosse eum qui vere est bonus; & radix, & fons univerforum bonorum. *Origenes* (tract. 8. in 19. cap. Matth.) Respondet etiam sic Christus, propter eum qui dixit *Quid boni faciam?* quando enim declinamus à malo, & facimus bonum, quantum ad comparationem ceterorum hominum, dicitur bonum quod facimus; quantum autem ad veritatem secundum quod hic dicitur, *Unus est bonus*, bonum nostrum non est bonum. Dicere autem potest quis, quoniam sciens Dominus propositum interrogantis non esse ut faciat vel humanum bonum, dixit: *Quid me interrogas de bono?* ac si dicat: Cum sis imparatus ad ea quæ dicuntur bona, cur me interrogas de bono? Post hoc autem dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ubi considera, quoniam adhuc quasi extra vitam constituto respondet: *Si vis ad vitam ingredi* secundum enim unum modum homo est extra vitam, qui est extra eum qui dixit, Joan. 11. & 14. Ego sum vita. Alias autem omnis qui super terram est, quamvis iustissimus, potest quidem in umbra esse vite, non autem in ipsa vita, cum sit corpore mortis circumdatus. Introibit autem quis in vitam, abstinentes se ab operibus mortuis, appetens autem opera viva. Sunt autem & verba mortua, & verba viva, & cogitationes mortuæ, & cogitationes vivæ: & ideo dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* *Augustinus* de Ver. Dom., serm. 17. Nec etiam dixit, *Si vis venire ad vitam æternam*; sed *Si vis ingredi ad vitam*, eam diffiniens vitam quæ fuerit æterna vita. Hic ergo considerandum est, quemadmodum amanda sit æterna vita, quando sic amatur misera ista, & quandoque finienda vita. *Remigius.* Demonstratur autem his verbis quia lex suis impletoribus non solum bona temporalia dabit, sed & vitam æternam. Et quia hoc audierat sollicitus factus interrogavit: unde sequitur: *Dicit illi, Quæ?* *Chrysostomus* in hom. 64. Hoc autem non tentans dixit; sed æstimans alia quædam præcepta esse præter legalia quæ vitæ causa fierent ei. *Remigius.* Jesus vere quasi infirmo condescendens clementissima legis præcepta exposuit: unde sequitur: *Jesus autem dixit: Non homicidium facies; quorum præceptorum expositio est sequens sententia, qua dicitur: Et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Etenim Apostolus dicit Rom. 13. Qui diligit proximum, legem implevit. Quæredum est autem: Quare Dominus tantum secundæ tabulæ præcepta commemoravit?

Idcirco scilicet quia forte iste studiosus erat in dilectione Dei; sive quia dilectio proximi gradus est ascendendi ad dilectionem Dei. *Origenes* (tract. 8. in 19. cap. Matth.) Forsitan autem ista præcepta sufficiunt, ut in principium, ut ita dicam, vitæ ingrediatur quis; non autem sufficiunt hæc, vel alia similia istis ad interiora vitæ introducere quemquam. Qui autem præterierit unum istorum mandatorum, nec in principium vitæ intrabit. *Chrysostomus* in hom. 54. Quia ergo Dominus ea præcepta commemoraverat quæ erant in lege; ideo sequitur: *Dicit illi adolescens: Hæc omnia servavi à juventute mea.* Et neque hic stetit, sed rursus interrogat: *Quid adhuc mihi desit?* Quod & ipsum signum est vehementis desiderii. *Remigius.* Illis autem qui in gratia perfecti esse volunt, ostendit qualiter ad perfectionem venire possunt: unde sequitur: *Dicit illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Notanda sunt ista verba: non enim ait, *Vade, & manduca omnia quæ habes*; sed *Vade, & vende.* Et non ait, *Aliqua*, sicut *Ananias, & Saphira*; sed *Omnia.* Et pulchre subjungit, *Quæ habes*; illa enim habemus quæ iuste possidemus. Illa ergo quæ iuste possidentur, vendenda sunt; quæ vero iniuste, sunt eroganda illis quibus fuerant ablata. Nec ait, *Da proximis, aut divitibus*, à quibus accipies similia; sed, *Da pauperibus.* *Augustinus* de Operibus Monachorum, cap. 25. Nec attendendum in quibus monasteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus hoc quod habebat aliquis impenderit: omnium enim Christianorum una Respublica est. Et ideo quisquis Christianus necessaria ubilibet erogaverit, ubicumque etiam ipse quod necessarium est sibi, accipit, de eo quod est Christi accipit. *Rabbanus* (super *Si vis perfectus esse*). Ecce duas vitas hominibus propositas audivimus: activam, ad quam pertinet, Non occides, & cetera legis mandata; & contemplativam, ad quam pertinet, *Si vis perfectus esse.* Activa ad legem pertinet, contemplativa ad Evangelium; quia sicut verus novum præcessit testamentum, ita bona actio præcedit contemplationem. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 5. cap. 9.) Nec tamen illi soli qui ut sint perfecti vendunt, vel dimittunt omnia sua, pertinent ad regnum cælorum: sed huic militiæ Christianæ, propter quoddam commercium caritatis, subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo; cui dicitur in fine infra 35. *Esuriivi, & dedistis mihi manducare*: (1) quo abicit ut istos à mandatis evangelicis alienos à vita æterna

(1) *Al.* quos *P. Nicolai* legit quos abicit ut (sicut istos à mandatis evangelicis alienos) à vita æterna separandos judicemus.

na separandos iudicemus. *Hieronymus* contra Vigilantium, prope fin. Quod autem Vigilantius asserit, eos melius facere qui utantur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus dividant, quam illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiantur: non à me ei, sed à Deo respondebitur: *Si vis esse perfectus, vade, & vende.* Iste, quem tu laudas, secundus, aut tertius gradus est; quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertiis preferenda. *Gennadius* de ecclesiis. Dogmatibus cap. 71. inter op. Aug. (2) Bonum est enim facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum in finem donare, & absolutum sollicitudine egere cum Christo. *Chrysostomus* in hom. 64. Et quia de pecuniis erat sermo, à quibus denudari admonuit, ostendit quod ampliora his retribuet, quanto terra majus est cælum, & ideo dicit: *Et habebis thesaurum in celo.* In thesauro enim copiam, & permanentiam retributionis ostendit. *Origenes* (Math. 19. tract. 8.) Si autem omne mandatum in hoc verbo impletur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* perfectus autem est qui impleverit omne mandatum: quomodo Dominus dicenti adolescenti, *Hec omnia servavi à juventute mea,* quasi nondum perfecto, dicit: *Si vis perfectus esse?* Forte autem quod ait, *Diliges proximum tuum,* non à Domino positum est, sed ab aliquo additum: quia nec Marcus, nec Lucas hunc locum exponentes hoc addiderunt: Vel aliter. Scriptum est in Evangelio secundum Hebræos, quod cum Dominus dixisset ei, *Vade, & vende omnia quæ habes,* cepit dives scalpere caput suum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis, Feci legem, & Prophetas, quoniam scriptum est in lege: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* Et ecce multi fratres tui filii Abraham, amici sunt stercore, morietes præ fame; & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Volens ergo Dominus arguere divitem illum, dicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Sic enim apparebit si diligis proximum tuum sicut teipsum. Sed si perfectus est qui habet omnes virtutes, quomodo fit perfectus qui vendit omnia sua, & pauperibus dat? Ponamus enim aliquem hoc fecisse, quomodo statim erit sine ira, sine concupiscentia, suscipiens omnes virtutes, & deponens malitiam universam? Sapienter ergo videbitur forsitan di-

(1) *Construit sic P. Nicolai, uniuscujusque animæ actus ejus.* (2) *Al. non habet.* (3) *Al. omittitur hoc.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Ubi notatur esse Gennadii Mafsiensis, qui Sempeliagianorum hæresis & factione notatus est.

cere, quoniam qui pauperibus tradidit bona sua, ipsorum orationibus adjuvatur, accipiens ad suam spiritualem inopiam illorum spiritualem abundantiam, & fit hoc modo perfectus, quamvis aliquas humanas habuerit passionem. Aut ita: iste qui mutavit pro divitiis paupertatem, ut fiat perfectus, credens sermonibus Christi, adjuvabitur, ut sapiens fiat in Christo, justus, & castus, & absque omni passione: non tamen sic ut in ipso tempore quo tradidit bona sua pauperibus, fiat omnino perfectus, sed ex illo die incipiet speculatione Dei adducere eum ad omnes virtutes. Aliter autem ad expositionem morale transibit, dicens substantiam esse (1) uniuscujusque actus animæ ejus. Imperat ergo Christus vendere omnem substantiam malam, & quasi tradere eam virtutibus operantibus eam, quæ ab omni bona pauperes sunt. Sicut enim pax Apostolorum revertitur ad ipsos, nisi fuerit filius pacis; sic universa peccata revertuntur ad actores eorum, cum non fuerit quis utens malis eorum; & sic neque dubitatio erit quin statim erit perfectus qui sic vendidit omnes proprias facultates. Manifestum est autem quod qui talia agit (2) habet thesaurum in celo, & ipse factus cælestis. In suo enim celo habebit thesaurum gloriæ Dei & divitiis in omni sapientia Dei. Talis autem poterit sequi Christum: quia non distrahatur ab aliqua mala possessione quo minus Christum sequatur. *Hieronymus* (super *Si vis perfectus esse.*) Multi etiam divitiis relinquentes, Dominum non sequuntur; nec (3) hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divitiis Salvatorem sequantur, id est, relicta malis, faciant bona. Facilius enim facculus contemnitur quam voluntas: & ideo sequitur: *Et veni, sequere me:* sequitur enim Dominum qui imitator est ejus, & per vestigia illius graditur. Sequitur: *Cum autem audisset adolescens verba hæc, abiit tristis.* Hæc est tristitia quæ ducit ad ad mortem. Causaque tristitiæ redditur: *Erat enim habens multas possessiones,* id est spinas, & tribulos, qui sementem dominicam suffocaverunt. *Chrysostomus*, in hom. 64. Non enim similiter derelinuntur qui pauca habent, & qui multis abundant: quoniam abjectio divitiarum majorem accendit flammam, & violentior fit cupiditate. *Augustinus* in epistola ad Paulinum, & Theodasium, epist. 34. Nescio autem quomodo, cum superflua terrena diliguntur, arcibus adeptæ, quam concupita constringunt; nam unde juvenis iste tristis dicebat, nisi quia magnas habebat divi-

divitiis? Aliud est enim jam nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere: illa enim velut extranea repudiantur, ista velut membra prædicuntur. (a) Secundum historiam autem, iste adolescens laudabilis quidem est, quia non occidit, non adulteratus est; vituperabilis autem, quia contritatus est in verbis Christi vocantibus eum ad perfectionem. Adolescentis quippe erat secundum animam, & propterea relinquitur Christum, abiit.

(f) *Glossa.* (b) Occasione hujus avari de quo prædictum est, habuit sermonem Dominus de avaro: unde dicitur: *Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis &c. Chrysostomus*, in hom. 64. Quod quidem dixit non (1) pecuniis quidem detrahens, sed eis qui detinentur ab ipsis; & discipulos pauperes existentes (2) monens non velle recitari ab inopiam. *Hilarius*, can. 19. Habere enim divitiis criminis non est; sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo communicandum est necessitatibus sanctorum, si communicanda materia non relinquitur? *Rabbanus* (super *Dives difficile intrabit.*) Sed inter pecunias habere, & pecunias amare non nulla distantia est; tutius autem est nec habere, nec amare divitiis. *Remigius*. Unde Dominus in Marco: cap. 10. exponens hujus loci sensum, (3) dixit: „Difficile est confidentibus, in divitiis intrare in Regnum Cælorum.“ Illi enim in divitiis confidunt, qui omnem suam spem in divitiis collocant. *Hieronymus*, ubi supra. Quia vero divitiæ habitæ difficile contemnitur, non dixit, quod impossibile est divitem intrare in Regnum Cælorum, sed difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prædicitur, sed raritas demonstrantur. *Hilarius*, can. 19. Periculosa enim cura est velle ditescere, & grave onus innocentia subiti incrementis opum occupata, rem enim sæculi famulatus Dei non sine sæculi vitii assequetur. Hinc difficile est divitem Regnum Cælorum adire. *Chrysostomus* in hom. 64. Quia vero dixerat difficile divitem intrare in Regnum, procedit ad ostendendum quod est impossibile: unde sequitur: *Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum.* *Hieronymus* (super *Facilius est camelum.*) Secundum hoc nullus divitum salvus erit. Sed si legamus Esaiam, quomodo cameli Madian, & Ephra veniant ad Hierusalem cum donis, atque muneribus, & qui quondam curvierant, & *S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *Al. de pecuniis.* (2) *Al. deest monens.* (3) *Al. desideratur dixit.* (4) *Al. grossior.*

Ex edit. P. Nicol. (a) *Origenes*, cujus nomine prætermisso, sequentem appendicem edit. aliæ cum præcedenti confundebant. (b) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Alfemo.

(c) Non est in Glossa nova, quæ tantum de gentilibus comparative ad Judæos explicat; sed in Anselmo.

victorum gravitate distorti ingredientur portas Hierusalem; videbimus quomodo & isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposituerint gravem sarcinam peccatorum, & totius corporis pravitatem, intrare possunt per angustiam & arctam viam quæ ducit ad vitam. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 33. in op. imperf.) Gentium etiam animæ assimilatae sunt tortuosius camelis, in quibus erat gibbus idolatriæ: quoniam cognitio Dei erectio est animarum. Acus autem est Filius Dei, cujus prima pars subtilis est secundum divinitatem, alia vero (4) crassior secundum incarnationem ejus. Tota autem recta est, & nullam habet deflexionem; per cuius vulnus passionis, Gentes ingressæ sunt in vitam æternam. Hac acu confuta est immortalitatis tunica: ipsa est acus quæ spiritui confuit carnem: hæc acus Judaicum populum junxit, & Gentium: hæc acus amicitiam Angelorum, & hominum copulavit. Facilius est ergo Gentiles transire per foramen acus, quam divites Judæos intrare in Regnum Cælorum. Si enim Gentes cum tanto labore divelluntur ab irrationalibus idolorum culturis, quanto magis Judæi divelluntur à rationabilibus Dei culturis? *Glossa.* (c) Aliiter dicitur, quia Hierosolymis quædam porta erat, quæ foramen acus dicebatur, per quam camelus, nisi deposito onere; & flexis genibus transire non poterat: per quod significatur, divites non posse transire viam arctam, quæ ducit ad vitam, nisi sordibus peccatorum, & divitiis depositis, saltem non amando. *Gregorius* 35. Moral. super illud Job 42. „Et facta sunt ei sex millia camelorum.“ cap. 21. in nov. exemp. Vel nomine divitis quemlibet elatum, cameli appellatione propriam condescensionem significat. Camelus autem per foramen acus transit, cum Redemptor noster usque ad susceptionem mortis, per angustias passionis intravit: quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus foramen acus quam dives Regnum Cælorum ingreditur: quia nisi ipse prius per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem ipsius superba nostra rigiditas inclinaret. *Chrysostomus* in hom. 64. Discipuli autem inopes existentes turbantur, pro salute aliorum dolentes, & doctorum jam viscera assumentes: unde sequitur: *Audientes autem discipuli, mirabantur dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?* *Augustinus* de Quæst. Evang.

F 4

(Lib.

(Lib. 1. cap. 26.) Cum autem pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, intelligendum est, quod omnes qui divitias cupiunt, in divitum numero haberi discipuli animaverunt. *Chrysostronus*, in hom. 64. Dei autem opus hoc esse consequenter ostendit, quoniam multa opus est gratia ut homo in divitiis dirigatur: unde sequitur: *Aspicies autem Jesus dixit eis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Per hoc quod dicit, *Aspicies*, significat Evangelista, quod mansueto oculo timidam eorum mentem mitigavit. *Remigius* Non autem hoc sic intelligendum est, quod possibile sit apud Deum, quod dives cupidus, avarus, & superbus intret in Regnum Cælorum; sed ut convertatur, & sic intret. *Chrysostronus*, in hom. ibid. Neque etiam hoc ideo dicitur, ut resupinus jaceas, & sicut ab impossibilibus abstineas; sed magnitudinem justitiæ considerans in filias, Deum rogans.

(g) *Origenes*, tract. 9. Audiverat Petrus verbum Christi dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes*; deinde consideravit adolescentem cum tristitia abeuntem, & difficultatem divitum ingrediendi in Regnum Cælorum: ideo quasi qui non facilem rem consummaverat, fiducialiter quæsit. Et si enim minima cum fratre reliquit; sed non minima aestimata sunt apud Deum considerantem quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, ut etiam si multas habuissent possessiones, omnia reliquissent. Et puto quod magis Petrus confidens de affectu suo quam de ipsa quantitate rerum relictarum, fiducialiter interrogavit: unde dicitur: *Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia.* *Chrysostronus*, in hom. 65. Qualia omnia, o beate Petre? Arundinem, rete, navigium. Omnia quidem hæc dicit, non propter munificentiam, sed ut per interrogationem hanc inopem inducat plebem: quia enim Dominus dixerat, *Si vis perfectus esse, ne dicat aliquis inopum*, Quid igitur si non habuero, non possum esse perfectus? interrogat Petrus, ut tu inops discas quoniam in nullo hinc diminutus es. Qui enim claves Regni Cælorum acceperat, pro his quæ ibi sunt jam confidit, & pro orbe terrarum universo interrogat. Intuere autem & qualiter responderet diligenter, sicut Christus inquisivit: etenim Christus duo à divite expetiit, dare pauperibus quæ habeat, & sequi se: propter hoc ipse addidit: *Et secuti sumus te.* *Origenes* (Matth. 19. tract. 9.) Potest dici secundum omnia quæ Pater revelavit Petro esse Filium suum, secuti sumus te, justitiam, sanctificationem,

nem, & hujusmodi. Propter hoc quasi victor athleta interrogat quæ sint præmia certaminis. *Hieronymus* (super *Tunc respondens Petrus*.) Quia ergo non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est: *Et secuti sumus te.* Fecimus quidem quod jussisti: quid ergo nobis dabis præmii? & hoc est quod dicitur: *Quid ergo erit nobis?*

Sequitur: *Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, &c.* *Hieronymus* (super *Jesus autem dixit*.) Non dixit, *Qui reliquistis omnia*: hoc enim (1) & Socrates fecit Philosophus, & multi alii divitias contempserunt, sed *Qui secuti estis me*: quod proprie Apostolorum est, atque credentium. *Hilarius*, can. 20. Secuti sunt quidem discipuli Christum in regeneratione, id est in lavacro baptismi, in fidei sanctificatione: hæc enim illi regeneratio est quam Apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit. *Hieronymus*, ubi supra. Vel aliter debet construi: *Vos qui secuti estis me, sedebitis in regeneratione*; id est, quando mortui ex corruptione resurgunt incorrupti; sedebitis & vos in solis judicantium: condemnantes duodecim tribus Israel: quia vobis credentibus illi credere noluerunt. *Augustinus* 20. de Civit. Dei (cap. 5.) Sic enim caro (2) nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum anima nostra regenerabitur per fidem. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 32. in oper. imperf.) Futurum enim erat ut in die judicii responderent Judæi: Domine, non te cognovimus Filium Dei in corpore constituti. Quis hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum, solem nubem celatum? Respondebunt ergo discipuli: Et nos homines fuimus rustici, & obscuri in plebe; vos sacerdotes, & scribæ: sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna rusticitatis nostræ; in vobis autem malitia facta est quasi caligo scientiæ vestræ. *Chrysostronus* (in hom. 65. in Matth.) Propter hoc autem non dixit, *Et gentes*, & orbem terrarum, sed *Tribus Israel*: quia in eisdem erant educati & legibus, & consuetudinibus Apostoli, & Judæi. Cum ergo dixerit Judæi, quoniam propter hoc non potuimus credere Christo, quia lex prohibuit; discipuli in medium (3) inducentur, qui eandem susceperunt legem. Sed dicit aliquis: Quid magnum promisit eis, si id quod Ninivita habent, & Regina Austru, hoc & ipsi habebunt? Maxima quidem alia præmia ante, & post eis promittit; sed & hic occulte insinuat aliquid plus illis. De illis enim simpliciter dixit, quod surgent, & condemnabunt generationem hanc; de his autem: *Cum sederit Filius hominis, sedebitis & vos.* Manifestum est ergo quod congrega-

(1) P. Nicolai habet Crates. (2) Al. vestra. (3) Al. inducerentur.

bunt, & communicabunt in gloria illa: honorem enim, & gloriam ineffabilem significavit per thronos. Qualiter autem hæc promissio completa est? Numquid enim & Judas sedebit? Nequaquam. Lex enim à Domino posita est per Hieremiam Prophetam cap. 18. „ Loquar suam per gentem, & regnum, ut ædificem, & „ plantem illud. Sed si fecerit malum in conspectu meo, poenitebo & ego de bonis quæ locutus sum ut facerem eis: quasi dicat: Si indignos seiplos promissione faciant, non adhuc faciam quod promisi. Indignum autem seipsum principatu Judas ostendit; & propter hoc tunc loquens discipulis, non simpliciter eis promissit: neque enim dixit, *Vos sedebitis*; sed adjunxit, *Qui secuti estis me*: ut & hinc Judam excludat, & eos qui postea futuri erant attraheret: non enim ad illos solos dictum est, neque ad Judam jam indignum effectum. *Hilarius*, can. 20. Sequela ergo Christi Apostolos super duodecim thronos judicandis duodecim tribus Israel, in duodecim Patriarcharum gloriam copulavit. *Augustinus* 20. de Civit. Dei, cap. 5. Ex hoc enim loco dicimus, cum suis discipulis judicaturum Jesum: unde & alibi Judæis dicit, supra 12. *Ideo judices vestri erunt.* Nec quoniam super duodecim sedes sedes esse ait, duodecim solos homines cum ipso judicaturus putare debemus. Duodenario quippe numero universam quædam significata est judicantium multitudinem, propter duas partes numeri septenarii quo significatur plerumque universitas; quæ duæ partes, id est tres, & quatuor, altera per alteram multiplicata, duodecim faciunt: alioquin quoniam in locum Judæ traditoris, Apostolum Mathiam legitimus ordinatum, Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad judicandum sedeat non habebit; qui profecto cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere demonstrat cum dicit 1. Corinth. 6. „ Nescitis „ quia Angelos judicabimus? „ *Augustinus* in Lib. de Penitentia. In hoc ergo numero judicantium omnes intelliguntur qui propter Evangelium sua omnia dimiserunt, & secuti sunt Dominum. *Gregorius* 10. Moral. (cap. 30. in novis exemp. 17.) Quisquis enim stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judicariæ potestatis obtinebit: ut simul tunc judex cum iudice veniat qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. *Augustinus* 20. de Civit. Dei (cap. 5.) De ipsis quoque judicandis, in hoc numero duodenario, similis causa est: non enim quia dictum est, *Judicantes duodecim tribus Israel*, tribus Levi quæ (1) decimateria est, ab

eis judicanda non erit; aut solum illum populum, non etiam gentes ceteras judicandum. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 33. in op. imperf.) Vel per hoc quod dicit, *In regeneratione*, præmittit Christus tempus christianitatis futurum post ascensionem suam, (2) quando scilicet homines regenerantur per baptismum; & illud est tempus quando Christus sedet in sede maiestatis suæ. Et vide, quia non de tempore futuri judicii dicit, sed de vocatione Gentium universarum: non enim dixit, *Cum venerit Filius hominis sedens super sedem maiestatis suæ; sed In regeneratione cum sederit in sede maiestatis suæ*: quod ex tunc fuit ex quo Gentes credere cœperunt in Christum, secundum illud Psalmi 46. „ Regnabit Dominus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. „ Et ex tunc Apostoli federunt super duodecim thronos, id est in omnibus Christianis: omnis enim Christianus qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri; & sic de aliis Apostolis. Sedent ergo Apostoli in his thronis, id est in duodecim partibus distinctis, secundum differentias animarum, & diversitates cordium; quæ solus Deus cognoscit. Sicut enim Judæorum populus in duodecim tribus fuit divisus; sic & universus populus Christianus dividitur in duodecim tribus: ut quædam animæ sint de tribu Ruben, & sic de aliis, propter diversas virtutes. Non enim omnes gratiæ in omnibus æqualiter sunt; sed unus præcedit in ista, alius in illa. Et sic Apostoli judicabunt duodecim tribus Israel, id est omnes Judæos, per hoc quod verbum Apostolorum est à Gentibus receptum. Omnes autem Christiani sunt quidem duodecim sedes Apostolorum, sed una sedes Christi. Christi enim omnes virtutes sunt quasi una sedes: quia in omni virtute æqualiter ipse solus perfectus est. Unusquisque etiam Apostolorum in aliquo bono speciali fit perfectior, ut Petrus in fide: & ideo Petrus requiescit in fide, Joannes in innocentia, & sic de aliis. Et quod de retributione Apostolis in hoc mundo danda Christus loquatur, demonstrat quod sequitur: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres.* Si enim in hoc sæculo centuplum recipiunt, sine dubio & Apostolorum etiam in hoc sæculo merces futura promittebatur. *Chrysostronus* in hom. 65. Vel discipulis promittit futura, quia excellentes erant jam, & nihil præsentium quærebant; aliis autem quæ sunt hic repromittit. *Origenes* (Matth. 19. tract. 9.) Vel aliter. Si quis reliquerit omnia, & secutus fuerit Christum; quæ promissa sunt Petro, & ipse recipiet. Si autem non omnia reliquit, sed quædam, quæ specialiter referuntur; hic multiplicia recipiet, & vitam

(1) Al. tredecim. (2) Al. quia.

possidebit æternam. *Hieronymus* (circ. fin. Comm. ad cap. 19.) Ex occasione autem huius sententia, quidam introducunt mille annos post resurrectionem: dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam: quod si in ceteris digna sit promissio, in uxoribus appareat turpitudine, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus igitur iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet; quæ comparatione, & merito sui (1) quasi parvo numero centenarius numerus compararetur. *Origenes* (Matth. 19. tract. 9.) Sed in hoc sæculo: quia pro fratribus carnalibus multos inveniet fratres secundum fidem; sic & parentes, omnes Episcopos, & presbyteros & filios, omnes ætatem filiorum habentes. Sunt autem & angeli fratres, & sorores omnes quæ exhibuerunt se Christo virgines castas, tam istæ quæ nunc habentur in terris, quam illæ quæ jam vivunt in cælis. Agros autem, & domos multiplices intellige in requie paradisi, & civitate Dei. Super hæc autem omnia possidebunt vitam æternam. *Augustinus* 20. de Civitate Dei, cap. 7. Hoc etiam quod hic dicitur, *Centuplum accipiet*, exponens quodammodo Apostolus ait (2. Corinth. 6.) Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Centum enim pro ipsa universitate ponuntur aliquando. *Hieronymus*, hoc loco. Quod autem dicit, *Et omnis qui reliquerit fratres*, congruit illi sententia qua dixerat, supra 10. *Veni separare hominem à patre suo*. Qui enim propter fidem Christi, ac prædicationem Evangelii omnes affectus contemperint, atque divitias, & sæculi voluptates, sibi centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. *Chrysostomus* in hom. 65. Cum autem

(1) *Supple cum Nicolajo ita erunt, ut est in Hieronymo* (2) *Al. sensisse.* (3) *Al. sunt.*

## CAPUT XX.

(a) **S**imile est Regnum Cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ire & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis: Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ire & vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem suam, incipiens à novissimis usque ad primos. Cum venissent autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecerunt qui portavimus pondus diei, & æstus? At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario

nario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

(b) Et ascendens Jesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis. Ecce ascendimus Hierosolimam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget.

(c) Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic ut sedent hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possimus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.

(d) Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus, Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

(e) Et egredientibus illis ab Hierico, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret, & clamaverunt dicentes: Domine miserere nostri filii David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri filii David. Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Miseratus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

(a) **R**emigius. Quia dixerat Dominus, *Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi*, ut hanc sententiam confirmaret, subiunxit similitudinem, dicens: *Simile est regnum cælorum patrifamilias*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in oper. imperf.) Homo paterfamilias Christus est, cui cæli, & terra, quasi una est domus; familia autem cælestium, & terrestrium, & inferiorum creaturarum. Vineam autem ejus iustitia est, in qua diversæ species iusticiarum positæ sunt quasi vites: puta, mansuetudo, castitas, patientia, ceteraque virtutes; quæ omnes generaliter iustitia appellantur. Homines autem vineæ cultores ponuntur: unde dicitur: *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*. Deus enim iustitiam suam dedit in sensibus nostris, non propter suam utilitatem, sed propter nostram. Scitote ergo quia mercenarii sumus conducti. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, ut hoc solum faciat quod manducat; sic & nos non ideo vocati sumus à Christo ut hæc solum operemur quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei: & sicut mercenarius prius aspexit opus suum, deinde quotidianum cibum; sic & nos primum debemus aspiciere quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad nostram utilitatem: & sicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum; sic & nos omne tem-

pus vite nostræ debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut mercenarius ea die qua opus non fecerit, erubescit intrare in domum, & petere panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei, quando nihil bonum in conspectu Dei gessisti? *Gregorius* in hom. 19. in Evang. Vel paterfamilias, idest conditor noster, habet vineam, universam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Ad erudiendam autem Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere: quia & prius per Patres, & postmodum per legis doctores, deinde per Prophetas, ad extremum vero per Apostolos, quasi per operarios in vineam cultum laboravit; quamvis in quolibet modulo, vel mensura quisquis cum fide recta bonæ actionis extitit, huius vineæ operarius fuit. *Origenes* (tract. 10.) Totum autem hoc sæculum præsens, unum diem dicere possumus, magnum quidem quantum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam. *Gregorius* in hom. 19. in Evang. Mane autem mundi fuit: ætas ab Adam usque ad Noë; & ideo dicitur: *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*. Et modum conductionis subiungit dicens: *Conventionem autem*